

starum, destituisset tegmine carniū. Eminent hoc quidem satis per se, nec eget expositione, si hæc esset in gravi amaritudine cordis, quam sic exasperabat dolor corporis. Nam etiam fertur, ut ipsa aperte profiteretur, se malle mori, quam tanto superesse dolori. Tandem, cum divina miseratio, compati voluit ancillæ suæ morbo, inspiravit in ejus mentem hanc cogitationem: ut quod apud homines est impossibile, apud Deum crederet esse possibile. Hac vivificata spe, decrevit Dominum per S. Mainulfum merita invocare, tendens statim ad reliquias sancti viri; offerensque secum quod dedit penuria census exigui, videlicet candelam ad sui vulneris instar formatam. Ibi quoque, sicut prius mente disposuit, Domino sanctoque Mainulfo preces direxit. Sed Dominus omnipotens, *cor contritum & humilitatum non despicens*, noluit roganti renuere auxilium, utpote astrictus per militis sui meritum. Illa quidem rediit, sed redeunti Christus celeriter exposuit, quod sibi gratum precatorem transmiserit. Nam mox insequenti die, cœpit in superficie vulneris novella cutis reviviscere: & ut brevè sit, quod dicimus, infra septem dies in tantam sanitatem transiit vulnus, ut mamilla pectori resurgeret ad integrum, cujus nec dolor aliquod ibi reliquerat vestigium. Hoc quidem admodum est dictum mirabile, sed tamen sanis mentibus est credibile: quia Christus *mirabilis in sanctis suis* falsò diceretur, si in eis nulla mirabilia operaretur. Ipse quidem per servi sui Mainulfi merita, plurima fecit, & facit miracula; quo-